

omnes cælos infra ipsum : Octauum deniq; cælum , seu firmamentum , in quo stellæ fixæ existunt , moueatur tanquam proprio motu accessu illo, & recessu, quem presati Astronomi reppererunt . Hic igitur denarius numerus orbium cælestium in scholis Astronomorum celeberrimus hodie existit : Quamuis non desint , qui , ne ab antiquis , maxime vero ab Aristotele discedere videantur , mordacitus octo tantum esse cælos defendere conantur . Verum cum huiusmodi auctores nulla ratione defendere possint omnes motus , quos in cælestibus corporibus videmus , vt perspicuum fiet , quando de motibus cælorum differemus , merito eorū sententia ab Astronomis reycitur . Neq; nos commouere debet antiquorum , & Aristotelis auctoritas ; Si enim alium motum præter octo illos deprehendissent , haud dubie plures orbes admisissent , quandoquidem nulla alia ratione numerus cælorum , quam ex numero motuum , collectus fuit ab ipsis . Quare hac in parte magis Astrologis exercitatissimis , qui decem motus dictos obseruarunt , septem nimirum inter se distinctos septem ptanetarum , & tres alios stellarum fixarum , est fides habenda , quam Aristoteli , cum idem affirmet in 12 . Metaph . Astronomos in rebus Astronomicis esse consulendos . Immo vero hi ijdē auctores , qui adeo additi Aristoteli , & antiquis esse volunt , vt in numero orbium cælestium ab ipsis minime discedere velint , ab eisdem in ordine eorū lē orbium propter manifestissimas Astronomorum obseruationes recedūt , vt postea perspicuum fiet . Quod si aliquis obijciat . Omnis motus cæli , vt vult Aristoteles in 12 . Metaph . cap . 8 . est propter motum astri , cum igitur in nono cælo , ac decimo nullum existat astrum , quoniam ibi nullum apparet , frustra videntur supra octo cælos , in quibus omnes stellæ inherent , duo alij mobiles nulla stella insigniti collocari : Respondendum est , licet in cælo nono , & decimo nullum existat astrum , motum tamen cuiusq; illorum in motū aliquem astrorum , que in alijs existunt cælis , redundare . Nam ad motum decimi cæli , seu primi mobilis , mouentur omnia astra ab ortu in occasum ; Et ad motum noni cæli eadem circumuehuntur ab occasu in ortum , quod quidem sufficit , vt motus cæli sit præter motum astri institutus . Verum tamen est , Aristotelem locutum fuisse loco citato de motibus cælorū , pro vt tunc cogniti fuerant , & sic motus cuiuslibet cæli ordinabatur in motum astri in eo existētis ; quod tamen non est necessarium , cum id nulla ratio suadeat , & experientia iam contrarium docuerit .

Accedit